20

DE

PHYSIOGNOMIA ET PHYSIOLOGIA OCULI.

PARS PRIOR

SEU

OPHTHALMOGNOMIA.

SCRIPSIT

CHRISTOPHORUS PRIM

MEDICINAE DOCTOR.

BONNAE,

APUD EDUARDUM WEBER.

1823.

Kennst du das Bild auf zartem Grunde,
Es gibt sich selber Licht und Glanz,
Ein andres ists zu jeder Stunde,
Und immer ist es frisch und ganz.
Im engsten Raum ists ausgeführet,
Der kleinste Rahmen fasst es ein,
Doch alle Grösse, die dich rühret,
Kennst du durch dieses Bild allein.
Und kannst du den Crystall mir nennen,
Ihm gleicht an Werth kein Edelstein,
Er leuchtet, ohne je zu brennen;
Das ganze Weltall saugt er ein,
Der Himmel selbst ist abgemalet
In seinem wundervollen Ring;
Und doch ist, was er von sich strahlet,
Oft schöner, als was er empfieng.

Schiller.

ERRATA.

Pag.	2	*lin.*	21	*loc.*	operiuntur *leg.* aperiuntur
—	4	—	23	—	*φαμεν l. φαμεν.*
—	9	—	11	—	intra *l.* extra
—	13	—	31	—	idemqui *l.* idemque
—	14	—	14	—	et quibus aetatibus *l.* et gentibus
—	15	—	7	—	colorem *l.* colorem in
—	16	—	28	—	supra *l.* supra significavimus, in
—	21	—	25	—	inclinatur *l.* inclinantur
—	22	—	29	—	imaginis - operi *l.* imagines - opere
—	34	—	18	—	contra *l.* contra si
—	37	—	13	—	sinilis *l.* senilis
—	40	—	9	—	homines *l.* hominis
—	43	—	5	—	Mexicani autem *l.* Mexicani

INCLYTO ET GRATIOSO

ALMAE RHENANAE

MEDICORUM ORDINI

VIRIS ILLUSTRISSIMIS ET AMPLISSIMIS

PRAECEPTORIBUS SUIS SUMMOPERE COLENDIS

HASCE PAGELLAS

IN SINCERRIMUM ANIMI DEVOTISSIMI MONUMENTUM

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

PROLEGOMENA.

Oculum, egregium istud in humano corpore membrum, sublimem admodum inter organa nobiliora in universum et sensus principem locum obtinere, nemo est, qui inficietur. Neque opus, nisi ut historiam ejus evolutionis respicias, quo eximius, ad quem consequendum datus est finis, tibi patefiat. — Magis autem de perfectione hujus organi persuadebimur, si mirabilem ejus structuram internam et functionem inde prodeuntem consideraverimus. Summam enim vitae manifestationem et maximam, quam natura assequi potest, formarum et specierum varietatem junctam in eo atque nexam reperimus, ita ut haud immerito ipsum microcosmum in macrocosmo dixerint.

Quam arcte oculus ipsam ob istam specierum diversitatem atque copiam cum omnibus corporis partibus cohaereat: anatomia, physiologia nec non pathologia edocetur; verum arctius et ad singula magis pertinens est vinculum, quod oculum et animum intercedit. »*Das Auge*, inquit Jean Paul Fr. Richter [1]), *ist der Kleinleib der Seele, ihr ätherischer Wohnmond neben der erdigen Gehirnkugel.*« Et revera jam a priori oculi dignitatem psychicam esse maximam affirmari licet. Probatur autem haec intima oculi cum animo conjunctio quam multis argumentis e physiognomia et physiologia petitis. Esse quoque eandem omni tempore et ab omnibus gentibus agnitam, docent antiquissima humanae cognitionis documenta, in quibus primas

1) *Museum v. Jean Paul p.* 51.

obtinent nonnulli e sacris litteris loci pro opinione hacce facientes; confirmant eam non paucae in omnes, quas novimus linguas, receptae et admodum tritae dictiones; testantur demum pro ejus veritate scriptorum huc spectantium copiae, e quibus afferam tantum Aristotelem, Galenum, Plinium, Ciceronem, Montagnium, Baconem, Bonetum, Hallerum, Sulzerum, Wolfium, Gellertum, Lavaterum et e recentissimis ab Autenriethium, Crossium, Nassium, I. P. Richterum et a Waltherum, quae quidem omnia sunt nomina gravissimae auctoritatis. Quin adeo numen divinum oculo, quippe quod aptissimum dignissimumque ejus symbolum habuere, repraesentare consueverunt.

Itaque oculus, et ad internam et ad externam naturam pertinens, non minus eorum, quae in animo contingunt atque peraguntur, quam quae ope lucis in corporibus apparent, imagines suscipit et exhibet. Quantum, si hac ex parte comparationem instituimus, ab oculo superatur nobile in ceteris organon audiendi! — Auris enim nonnisi alienos sonitus in se recipit, verum concentum harmonicum, animi Echo, uti oculus cum aliorum animis communicare nequit; audit quidem auris et accipit, sed neque respondet, neque reddit: oculus vero gratus accepta, eaque quidem pulchriora reddit.

Quanta autem est oculorum dignitas inter organa in universum, tam grave quoque momentum in pulchritudine et significatione faciei iis est tributum. Nam simulac operiuntur, lux et mobilitas per totam faciem extenditur, iis autem conniventibus decor et vita psychica maxima ex parte evanescit. Neque est, qui hanc vim et significationem oculis abjudicet, cujus rei luculentissimae nobis suppeditantur rationes dictionibus in lingua nostra maxime congruis: »*Gesicht* et *Angesicht*«; comprobant eandem rem auctores supra laudati, atque carmina veterum et recentiorum poetarum v. g. Homeri, Shakspeari, Schilleri, Goethii; nec minus insignia opera eorum, qui artes plasticas exercuerunt.

Quae cum ita sint, prae omnibus aliis oculos internam hominis naturam nobis revelare posse patet. Ab iis enim in homine considerando et dijudicando progredimur et illuc demum revertimur; namque cum primum aliquis nobis obviam factus est, re ignota, quasi instinctu moti, oculum ejus nostro concipimus, et hoc nulla alia de causa facimus, quam quod

illic animum ejus detegi, ejusque vitam intimam et absconditissimam significari sentimus. Et profecto relucent in ipsis et arcana cerebri et occulta pectoris, ingenium nimirum et hebetudo, virtus ac scelus. Nec vero oculorum ope tantum characteres tam in genere, quam in specie perscrutamur, sed iisdem etiam indicibus variae mobilesque animi conditiones cognoscuntur: ne minima quidem mutatio in iis accidit, quam non thermometri certissimi ad instar nobis indicent ita, ut sententia illa hippocratica: „ὡς δύνανται οἱ ὀφθαλμοὶ οὕτως καὶ ὁ ἄνθρωπος," et respectu psychico verissima sit. Hinc Crossius [2]) oculos primos animi ministros appellat; hinc jam Theocritus dixit: ab oculo ad cor viam deducere apertam; hinc adeo Plinius [3]) animi hospitium in oculo esse facit, ita ratiocinans: »Nulla ex parte majora animi indicia cunctis animalibus: sed homini maxime; id est, moderationis, clementiae, misericordiae, odii, amoris, tristitiae, laetitiae. Contuitu quoque multiformes: truces, torvi, flagrantes, graves, transversi, limi, summissi, blandi. Profecto in oculis animus habitat. Ardent, intenduntur, humectant, connivent; hinc illa misericordiae lacryma; hos cum osculamur, animum ipsum videmur attingere etc.« Quod intimum oculum inter et ψυχὴν commercium ipse antiphysiognomon Buffonius negare nequit; audiantur ipsius spectabilia verba: »C'est sur-tout dans les yeux, que les images de nos secretes agitations se peignent, et qu'on peut les reconnoître; l'oeil appartient à l'ame plus qu'aucun autre organe, il semble y toucher et participer à tous ses mouvemens, il en exprime les passions les plus vives, et les émotions les plus tumultueuses, comme les mouvemens les plus doux, et les sentimens les plus délicats; il les rend dans toute leur force, dans toute leur pureté, tels, qu'ils viennent de naître; il les trasmet par des traits rapides, qui portent dans une autre ame le feu, l'action, l'image de celle, dont ils partent. L'oeil reçoit et réfléchit en même temps la lumière de la pensée et la chaleur du sentiment. C'est le sens de l'esprit, et le langage de l'intelligence.« — Idem permulti alii

---

2) *An attempt to establish Physiognomy upon scientific principles, by John Cross, p.* 242.

3) Plinii Historia naturalis L. XI. c. 54.

4) *Histoire naturelle générale et particuliere; Tom. II. p.* 523 - 24.

aliis verbis docuere. Itaque ex paucis hisce jam sequitur singularem istam oculi cum animo conjunctionem omnino ophthalmognomia manifestari.

Verum enim vero non minus luculenta et evidens vis oculi psychica revelatur in ophthalmophysiologia i. e. in potentia ejus visibili et quidem tam in conditionibus ac motubus, quae ad visum requiruntur, quam in ratione, qua fit ipsa objecti perceptio. Est visio nihil aliud, quam sensatio rerum visibilium, ergo actus vitalis potentiae visibilis operantis modo vitali. Hanc sententiam de actione oculi (vi ejus psychica) in videndo activa Philosophorum principem Platonem jamjam amplexatum fuisse, locus e [5]Timaeo probat, qui ita audit: *τῶν δὲ ὀργάνων πρῶτον μὲν φωσφόρα ξυνετεκτήναντο ὄμματα τοιᾷδε ἐνδήσαντες αἰτίᾳ· τοῦ πυρὸς ὅσον τὸ μὲν κάειν οὐκ ἔσχε, τό τε παρέχειν φῶς ἥμερον οἰκεῖον ἑκάστης ἡμέρας σῶμα ἐμηχανήσαντο γίγνεσθαι· τὸ γὰρ ἐντὸς ἡμῶν ἄδελφον ὄν, τούτου πῦρ εἰλικρινὲς ἐποιήσαν διὰ τῶν ὀμμάτων ῥεῖν λεῖον καὶ πυκνὸν ὅλον μὲν μάλιστα δὲ τὸ μέσον ξυμπιλήσαντες τῶν ὀμμάτων ὥστε τὸ μὲν ἄλλο ὅσον παχύτερον στέγειν πᾶν τὸ τοιοῦτον δὲ μόνον αὐτὸ καθαρὸν διηθεῖν· ὅταν οὖν μεθημερὸν ᾖ φῶς περὶ τὸ τῆς ὄψεως ῥεῦμα τότε ἔκπιπτον ὅμοιον πρὸς ὅμοιον ξυμπαγὲς γενόμενον ἓν σῶμα οἰκειωθὲν ξυνέστη κατὰ τὴν τῶν ὀμμάτων εὐθυωρίαν ὅπη περ ἀντερείδῃ τὸ πρόσπιπτον ἔνδοθεν πρὸς ὃ τῶν ἔξω ξυνέπεσεν, ὁμοιοπαθὲς δὴ, δι᾿ ὁμοιότητα πᾶν γενόμενον, ὅτου τε ἂν αὐτό ποτε ἐφάπτηται καὶ ὃ ἂν ἄλλο ἐκείνου τούτων τὰς κινήσεις διαδιδὸν εἰς ἅπαν τὸ σῶμα μεχρὶ τῆς ψυχῆς αἴσθησιν παρέσχετο ταύτην, ᾗ δὴ ὁρᾶν φαμεν ἀπελθόντος δὲ εἰς νύκτα τοῦ συγγενοῦς ἀποτέτμηται.* Et revera haec est ratio, qua actio illa visus admirabilis considerari debeat, atque facile explicari possit, quin oculum indigna vice camerae obscurae sic dictae fungi faciamus.

Quae autem, cum sese ita habent, jam ut dilucidemus simul et plane comprobemus accingamur, Physiognomiae et Physiologiae oculi naturam expposituri. Atque ergo initium faciemus ab ophtholmognomia, *ψυχὴν* scilicet persequamur per triplicem vitae ejus rationem, considerando multiplices istas et varias actiones quae aut in facultate intelligendi, aut sentiendi aut appetendi sunt positae, modumque sive signa, quibus ab oculo nobis

---

5) Τιμαῖος edit. Bekker. part. III. Vol. 2. p. 50.

agnoscendae proponuntur et quidem ex diversitate illa, qualis tum inter singulos homines constat, tum ex genere, aetate, temperamento, et gentis indole sequitur. Tum in altera parte transibimus ad ophthalmophysiologiam atque proponemus videndi functionem, nimirum rationem, qua diversae oculi partes ejus fiunt participes, ut et totius processus naturam. Inde persuadebimur, summum argumentum, quo nexus animi et oculi comprobetur, repetendum esse a lege illa, quae non tantum in physiognomiam et physiologiam oculi, sed in scientias istas in universum patet, ad quam nempe motus interni et externi, itaque et animi et oculi, omnino consentiunt, ita ut intensivus animi motus etiam contractivo oculi motu exprimatur, et vice versa animus extrorsum agens, expansivos in oculo motus provocet.

PARS PRIOR.

De Ophthalmognomia.

§. 1.

In ophthalmognomia pertractanda non tantum oculi globum partesque, quibus constat, diversas, sed etiam partes exteriores congenitas, quae ipsum circumdant eique adjacent, nempe supercilia, palpebrae, cilia, musculi motorii et glandula lacrymalis, sunt considerandae. — Omnia in hisce uti forma, habitus, color, aeque ac motus magnum habent momentum. — Profecto variae harum partium diversitates, quas anatomia ostendit et autopsia percipimus, non fortuito, sed ex causis rationalibus ita constitutae sunt, ideoque psychica vi haud carent. - Si, quod revera se ita habet, vere loquitur Lemnius dicens: »nullam corporis partem esse quamlibet minutam et exilem, quantumvis abjectam et ignobilem, quae non aliquod argumentum insitae naturae et quo animus inclinet, exhibeat,« id praesertim de hisce partibus tum ob eorum nobilitatem tum ob insignem vivacitatem [6]), affirmari debet. Atque analogia oculos animalium singulares inter et hominum intercedens, ab aliis physiognomis in dubium vocata, ab aliis justo nimium amplificata omnino negari nequit; veritas enim ejusdem et experientia quotidiana et usu loquendi, testibus omnium gravissimis, stabilita atque sancita est. — Quam amplus atque fertilis campus inde hic menti perscrutanti offertur!

---

6) *J. J. Engel, Ideen zu einer Mimik, Vol.* 1. *p.* 64 *ait: Am leichtesten, öftersten und unverkennbarsten spricht die Seele durch diejenigen Glieder, deren Muskeln am beweglichsten sind, also am öftersten durch Mienen des Gesichts, und unter diesen durchs Auge.*

Antequam vero specialem materiae expositionem aggrediar, generaliora quaedam de singulis istis partibus, utpote notas totum dilucidantes, praemittere placet.

§. 2.

De superciliis.

Supercilia inter signa physiognomica haud postremum obtinent locum. Jam veteres physiognomi ipsa veluti partes principaliores considerabant; sic Aristoteles 7), Polemon 8), Adamantius 9) aliique. Porta 10, qui omnia de hac re inde ab Aristotele tractata collegit et propriis suis observationibus adauxit emendavitque, multa de iisdem, sed etiam nonnulla fictitia docet. Teste Buffonio 11) supercilia post oculum pars in physiognomia potissima; comparat ipsa cum picturae cujusdam umbra, qua vis colorum et lineamentorum adaugeatur. Quin adeo Lebrunius 12) iisdem in depingendis affectibus animique motubus primas detulit. Ita et Lavaterus 13), cujus auctoritas nobis gravis est, superciliis magnam dignitatem psychicam tribuit; ait enim illa saepius per se ad dijudicandos hominum characteres sufficere, exempla atque argumenta petens e superciliis Torquati Tassi, Leonis Baptistae, Alberti, Turennii, Clarkii, Ansonis, Newtonii aliorumque. Recentiorum temporum physiognomi, cum hanc materiam plerumque tenuiter tractarint, etiam de his partibus parum proferunt.

Igitur in significatione eorum psychica denotanda respicimus locum quem tenent, arcum qui ab ipsis formatur, eorum densitatem aut raritatem, lenitatem vel torvitatem, longitudinem seu brevitatem, distantiam ab oculo et a se invicem, colorem ac demum motum, in quo maxima

---

7) Aristoteles de Physiognomica lib.

8) Polemonis Physiognomia.

9) Adamantii Physiognomia.

10) Porta de physiognomia humana, p. 128 - 134.

11) Buffon l. c. p. 524.

12) Lebrun *Conference sur l'expression générale et particulière des pass. p.* 19. - 20.

13) Lavater *Physiognomische Fragmente T. IV. p.* 254.

significandi vis est posita. — Sic firma, densa, tectiformia et quasi praesecta supercilia sunt indicia animi magna vi intelligendi praediti, prudentis, ingeniosi et indolis fidae atque constantis [14]). Alta, densa, et spatio quodam inter se divisa nec latiora supercilia reperiuntur in hominibus astutis, inque iis, qui memoria admodum valent, et ingenio poetico pollent. Alta et ab oculis aeque ac a se ipsis distantia supercilia animum levem, haud facile conantem, serenum et apertum denotant; e contra supercilia demissa, et oculo prope adjacentia ingenium solidum atque subtile, et si simul conjuncta atque corrugata mentem obtusam, et animum conflictum produnt [15]). Jamque veteres supercilia conjuncta pro signo non admodum felici habuere. Aristoteles [16]) v. g. homines, quibus ejusmodi sunt supercilia, δυσαυίους dicit. Johannes ab Indagine [17]) eadem malitiae signum esse arbitratus est, et recentiores, uti Lavaterus, animum obscurum iis prodi putaverunt. Supercilia rectilinea et densa indolem virilem et animum frigidum, mediocriter autem arcuata, rara et tenacia indolem foemininam animumque calidum significant. Turbata, effera et aspera supercilia et indolem ferocem asperamque indicant; si simul versus nasum decurrunt et ad tempora esurgunt, bestialis naturae nota offertur [18]); contra ordinata, mollia et tenera indolem mitem et teneram ostendunt. Supercilia fortia et fusca animi et corporis robur et sanitatem, debilia, tenuia et alba vero contrariae naturae notam praebent.

Etiam in spatio supercilia intercedente vel majori vel minori ejusque habitu significatio quaedam animi quaerenda. Lavaterus [19]) ait, non esse verum philosophum, qui non in spatio isto et frontis atque nasi commissura talis cognoscatur, quin adeo si in illa parte non sit profunditas aut sinus, subtilitas aut energia: frustra in tota facie, in toto homine et in omnibus mentis vitaeque actionibus quaesitum iri philosophum, id est

14) Lavater l. c. pag. 254.

15) Id. l. c. p. 255.

16) Aristoteles l. c. οἱ δὲ συνόφρυες, δυσαυίοι.

17) Ioannes ab Indagine *Buch der Physiognomey*, *Kap.* 2.

18) Vid. Porta l. c. p. 130 et Lavater l. c. p. 314 - 315.

19) Vid. ejus *Physiognomischer Nachlass*; *p.* 86.

virum, qui summo studio veras, perspicuas, cohaerentes et ratiocinatione nixas cognitiones consequi satagat. Eodem auctore [20]) longae vitae signum est latitudo quaedam inter supercilia et circa nasi radicem, uti in tota faciei conformatione in universum.

Qui habitus animi formis constantibus hucusque descriptis constanter denotantur: iidem motibus, qui formis istis congruunt, momentaneis, momentanee etiam exprimuntur. Hice motus duplicis generis sunt: namque supercilia aut musculo frontali sursum, aut orbiculari palpebrarum deorsum moventur atque simul corrugatore ipsis proprio plus minusve ad nasi radicem attrahuntur et conjunguntur. Si sursum moventur, motus est expansivus; animum enim intra se tendere ut in observando, in laetitia, admiratione et stupore significant; cum autem deorsum trahuntur et corrugantur, motus est contrahens, atque animum in se recedere, uti fit in subtili meditatione, pio mentis affectu, tristitia et pudore, judicamus. Ubi animus vehementer et spasmodice motus quasi pugnam cum rebus externis subit, etiam in motibus superciliorum spasmum atque certamen inter musculum expandentem et contrahentem prodire videmus: deprimuntur enim supercilia unaque ad nasi radicem et mediam frontis rursus contrahuntur. Sic e. g. in ira, odio, et aliis affectibus vehementioribus.

§. 3.

De Palpebris.

Neque palpebrae in physiognomia parum significant. Lavaterus [21]) ad faciem quandam dijudicandam maxime facere arbitratur et mediam lineam oris et mediam lineam istam, quae a palpebra superiori super bulbo describitur. Eandem vim psychicam magnam physiognomi tam veterum quam recentiorum temporum palpebris tribuunt. Respicimus vero in ipsis formam, peripheriam, finitionem vel minus vel magis praecisam, minorem vel majorem fissuram, quae ab iis efficitur et tandem earum motum. Palpebrae justae magnitudinis, quae arcuose esurgunt, ita ut rima ampla et rotunda sit, quales Graeci Jovi, Junoni et Apollini tribuunt,

20) Vid. ejus *Physiognomische Fragmente*, *T. IV.* *p.* 364.

21) Id. l. c. T. IV. p. 148.

animum ad imperandum proclivem, mentis vigorem et ingenuam superbiam denotant. Si vero palpebrae superioris arcus magis ad lineam rectam accedit et accurate descripta bulbum quasi in duas partes aequales dividit et structura sua cum inferiori angulos acutos efficit, ita, ut longior quam rotundior forma rimae prodeat: insignis prudentiae, astutiae ac calliditatis signum habemus [22]; quodsi intuitus astutiae plenus accedit: oculi, quales Jesuitarum esse ferunt, videbimus. Palpebrae crassae, firmae, temperamentum sanguineum, et si simul flexae et accurate definitae sunt, ingenium denotant. Palpebra superior quae multum s ub orbita recedit, indeque plicam profundam ibi efficit: acumen, judicium, sensus elegantiam et ad amorem proclivitatem indicat [23]. Quo fortiores palpebrae, quo profundiores plicae, ab iis productae, quo latiores ipsarum margines et quo major angulus et rima: eo virilior et fortior homo; et vice versa. Palpebra superior languida et collabens cum margine lata mollique, propensionis ad libidinem est signum. Nullae vel multae et parvae plicae in palpebris hominum laetitiam vel amorem significantium conspicuae, hebetem atque debilem denotant indolem [24]. Si palpebrae circulo livido descriptae sunt, physicam et psychicam debilitatem adesse recte contendes. Oculus magnum et quidem constantem ostendens canthum, felicia signa exhibet [25].

Quod ad motum palpebrarum et variabilem rimae formam pertinet: eadem valent, quae supra in universum de expansione et contractione docuimus; quocirca major palpebrarum rima consequitur intentiones animi ad res externas, uti sunt spes, desiderium, laetitia, admiratio; contra animo in semet converso, quod evenit in tristitia, pudore, meditatione, rimam angustiorem fieri videmus. Nicolai [26] habitum oculi, praesertim quoad palpebram superiorem sustollendam, ex sacra consuetudine in catholicis peculiari modo esse insignem affirmat. In affectibus autem vehementioribus e. g. in ira, terrore, palpebras aeque ac supercilia certatim ex-

---

22) Lavater, *physiognomischer Nachlass* p. 23. — et *physiognomische Fragmente* p. 269 — 271.

23) Id. l. c. p. 30.

24) Id. l. c. p. 24.

25) Wagner, *von der Natur der Dinge* lib. III. p. 567.

26) Nicolai, *Reisen durch Deutschland.*

pansio et contractio spasmodice afficiunt, prout et animum motus similes alternatim occupant.

§. 4.

De Ciliis.

In ciliis eadem recurrit significatio quoad formam, habitum, colorem, quam in superciliis cognovimus. Sic cilia fortia et nigra indolem fortem, debilia et alba autem contrarium indicant. Porro cilia longa, tenuia et lenia lenitatis 27), verum crassa, turbata et aspera feritatis notam offerunt etc. Quod spectat ad eorum motus, cum palpebris omnino cohaerent, ita ut plura de iis hic proferre, superfluum foret.

§. 5.

De glandula lacrymali.

Igitur in aestimanda externarum oculi partium relatione psychica, cum musculos ejus simul cum bulbi motibus infra pertractaturi simus, glandula lacrymalis superest. Glandula lacrymalis inter organa secretioni inservientia in primis floret; neminem enim nostrum fugit ipsam ex omnibus fere solam nervis cerebralibus praeditam esse, atque quidem ramus iste, qui in eam transit, a nervo admodum insigni originem ducit. Unde tam arctus glandulae hujus nexus cum oculo tum respectu physiologico, tum et ipsius sympathia intima cum animo facile explicari potest. Verum organi lacrymalis functio, ut mihi videtur, praecipue ad vitam psychicam spectat; namque prae ceteris sensibilitatis imperio obtemperat. Comitantur lacrymae et lenes et vehementes, laetos et tristes animi motus. Hinc etiam earum conditio multiformis. Contemplemini e. g. hominem, amici cujusdam carissimi jacturam deplorantem, cum animo levando in lacrymas solvitur: quam diversae sunt hae a lacrymis illis nitentibus atque placidis, quae oculo laetitia commoto lubenter elabuntur; quam absimiles raris, refertis pressisque lacrumis, quas ira moto nonunquam effugiunt; namque sunt rigantes ora rivi, corpore conquassato facieque motubus convulsivis comprehensa, e glandularum fontibus prorumpentes! Et profecto humor iste etiam qualitate variatur, prout ψυχῆς temperatio ipsum provocans varia est. Haec opinio, licet adhuc hypothetica sit, jam

---

27) cl. Nasse, in praelectionibus de Psychophysiologia.

verisimillima redditur ex diverso effectu, quem lacrymae in oculum exerunt (quo pertinent e. g. lacrumae illae, quas usu linguae venenosas sive crocodilinas appellant); nec non ex analogia cum aliorum organorum secretioni inservientium fluidis, quae ut experientiá et chemia docent, ab animi motibus diversissimas mutationes qualitativas aeque ac quantitativas facile et uno quasi ictu patiuntur, eo magis, quum in secretionem lacrymaram systema nervosum superius tantum habeat momentum. Sed experimenta in posterum instituenda, quae etiam physiologis exoptata esse debent, nos de hac re certiores facient.

§. 6.
De Bulbo.

Progressi ad ipsum bulbum, Proteum istum, qui Physiognomo est maximae significationis, considerabimus in eo formam, speciem, colorem, situm atque motum singularium partium, uti et totius. Bulbi magni, subcoeruleo colore, eximiam facilemque animi capacitatem designant, et si simul mobiles scintillant, ingenii acumen, iracundiam, aemulandi studium et libidinem produnt [28]. Si bulbi magni sunt et ex orbita prominent (a gallis grands yeux à fleur de tête, a nobis *Glotzaugen* dicti), magnam memoriam denotant [29]. Bulbi parvi et multum in orbitam recedentes, si simul splendent, ingenii profunditatem, animi venustatem et astutiam significant; si autem iis splendor non inest, acumen quidem et astutiam, sed etiam suspicionem, avaritiam atque animi frigorem arguunt [30]. Bulbi admodum parvi, limpidi, quorum intuitus non eodem intenditur, quales praecipue in corporibus gibbosis et aliis deformitatibus laborantibus reperiuntur, acuminis, judicii, ingenii faceti, malignae suique amantioris indolis signa praebent [31]. Bulbi oblique jacentes iidemque parvi, uti sunt felium, vulpium ac crocodillorum oculi, astutiam, malitiam nec non indolem ad insidias proclivem indicant. Si bulbi parvi magna carnis mole

---

28) Lavater, *physiognomischer Nachlass, p.* 21.

29) Gall, *anatomie et physiologie du systeme nerveux en général et du cerveau en particulier etc. Vol. IV, p.* 50.

30) Lavater, *physiognomischer Nachlass p.* 29.

31) Id. l. c.

circumdantur, species naturae bestialis offertur. Eodem modo si oculi a se invicem valde distant, aut sibi admodum propinqui indeque oblique jacent, qualem formam in Faunorum antiquis signis conspicimus, indolem ad animalium naturam accedere existimare licet.

Quod attinet ad externam bulbi speciem, quae a tunicarum ejus externarum habitu maxima ex parte dependet, ante omnes cornea erit respicienda. Est nulla bulbi pars, cujus significatio gravior, quaeque tam cito et tam facile mutationum, quas subit animi et corporis temperatura, fiat particeps, quam cornea. Hinc quoque ejus habitus tam multiformis; alius enim est in ingenioso, alius in hebete, alius in vigente juvene, alius in amante puella, alius in laetitia, alius in moerore; et quidem temperatura ista animi, prout magis extensiva aut magis intensiva, excitans aut deprimens est, in corneae pelluciditate, turgore atque splendore aut majori aut minori manifestatur.

De scleroticae leviori conditione pauca tantum hic notanda sunt. Si superficies illius candens est atque clara, animi ut et corporis sanitatem bonamque morum qualitatem denotat, et vice versa. Si vero splendor ejusdem nimius est, et ad vitri speciem accedit, aut animum aut corpus aegrotare jure suspicaberis [32]). Si demum colorem subcoeruleum et limpidum, colori lacteo haud absimilem vel limpidum exhibet, ceteris paribus proprietates supra descriptas habebimus, nempe magnam facilemque animi capacitatem, iracundiam, aemulandi studium, invidiam, libidinem, dum corporis constitutio talium hominum plerumque debilitate laborat [33]). Simile aliquid de conjunctiva valet, quatenus tum clara est et splendida, tum aut turbida et splendore carens, aut aliam quandam conditionem discolorem exhibens.

Jam vero in iride admodum memorabili primum ejus colorem animadvertimus. Varietas iridis colorum, quos cum integumentis corporis communibus et capillis consentire videmus, in homine est maxima. Quamquam enim non in quavis animalium specie semper certus quidam et

---

32) Splendor iste oculi vitreus, observante cl. Nasse est signum gravissimum, quo cor morbo laborare deprehendas; idemqui mihi animadvertendi in clinico medico frequenter occasio est oblata.

33. Lavater, *physiognomischer Nachlass p.* 21.

constans oculi color occurrit, quae veterum fuit opinio, attamen in universum per plurimas species coloris quandam constantiam persequi licet, atque nonnisi iis animantibus iridis varietatem esse reperimus, quam qui et cutis et pilorum colore variant [34]. Sic e. g. Trichecho rosmaro iris continuo est coerulea, capris obscure aurantia (inde caprinum dicunt), leonibus fusca; saepissimeque in noctius eadem caesia, in lupis viridis, in aquilis flava observatur et sic porro. Colores iridis oculi humani primarios Aristoteles, quem posteriores secuti, in problematis tres constituit, scilicet coeruleum, aurantium et fulvum; in historiis autem hosce quantuor: caesium, coeruleum, fuscum et nigrum, et quidem haec divisio nobis magis arridet. Ceterae colorum species multo rariores sunt: viridis flavus, ruber. Quisque horum colorum, quum non tantum passim in singulis hominibus reperiuntur, sed singulos in singulis aetatibus, temperamentis et quibus aetatibus praedominari, iisque quasi proprios esse cernimus, propriam significationem obtinuit. Iris caesia, qualis in infantibus observatur et symbolum innocentiae habetur, animi et corporis debilitatem indicat, et inde in adultis levem ingenii vim, mollitiem, indolem muliebrem, timiditatem, phlegma nec non avaritiam. Iris vero nigra sanitatis et animi et corporis, indolis constantiae, fortitudinis, calliditatis, et auctore Crossio [35], etiam rapacitatis signum habetur [36]. Felicissima et quoad animum et quoad corpus iridis signa offerunt colores frequentissimi (caesio et nigro adjacentes) coeruleus et fulvus. Iris (splendide) coerulea denotat felix ingenium, prudentiam, benignam indolem, animum, fortitudinem et amoenam venustatem. Talibus oculis praeditos [37] plures veterum poetarum insignes dicunt Minervam [38] et Neptunum, eodemque colore Iris magni nostri Schilleri tincta erat. Iris (splendide) fulva sublimis ingenii, subtilitatis, magnanimitatis, fortitudinis et virilis venustatis est signum. Oculos ejusmodi Apollini, atque viris heroicis tribuuntur. Et poetarum recentiorum princeps Goethius tali oculo est conspicuus. Color viridis mediocres ingenii dotes, indolem vehemen-

---

34) Blumenbach de generis humani varietate nativa. p. 171.
35) l. c.
36) Theophr. Paracels. oper. T. I. de natura rerum L. IX.
37) Homerus Minervam γλαυκῶπιν appellat.
38) Cicero de natura deorum Minervae tribuit oculos caesios, Neptuno autem caeruleos.

tiorem, fortemque significat[39]. Color flavus, quo magis ad fuscum vergit, eo ingeniosiorem hominem prodit; ceterum roboris et animi signum habetur. Ruber color denique molestus, omniumque rarissimus, proprietates minime felices, ad affectus vehementes propensionem, praecipue iracundiam et ebriositatem arguit[40]. Aegyptii hominem ejusmodi oculis praeditum imprudentem aestimarunt. Hic quae afferatur, dignissima et Crossii *) observatio, in morbis psychicis iridis colorem pallidum converti, et eo gradu, quo aegrotans convalescat, sensim sensimque pristinum redire.

Quod ad pupillam attinet, sive Iridis motus extensivos et contractivos, hic recurrit eadem lex, quam supra statuimus. Pupilla extra modum ampla aeque ac bulbus permagnus in oculo speciem debilitatis et hebetudinis adumbrat. Jam veteres illos, quorum pupilla erat ita constituta, stolidos atque stupidos dixerunt; contra pupilla valde angusta, qualis in vulpibus, simiis et serpentibus reperitur, et angustae rimae respondens, calliditatis, astutiae et rapacitatis nota habetur; verum pupilla magna signum est felicissimum tum quoad corpus tum quoad animum. Pupillam ejusmodi, quaeque profundum in oculum intuitum admittit, animi quietem atque tranquillitatem designare docet cl. Nasse. Eodem modo extensio et turgor iridis adauctus cum expansione animi et actione ejus exaltata cohaeret, qualis in laetitia, desiderio, admiratione adest: et vice versa contractio ejus et turgor comminutus, intensivam animi conditionem et depressionem, uti timorem, tristitiam etc. significat. Felix signum quoque dicunt pupillam perfecte rotundam; contra detortam et in latitudinis aut longitudinis formam extractam, qualis in plerisque mammalibus et praesertim in feris observatur, plus minusve infaustum omen esse existimant.[41]

§. 8.

Temporibus recentioribus gravis est exorta quaestio, num motus iridis ex arbitrio hominis pendere possit. Plures physiologi et quidem

---

39) Lavater, T. *IV.* p. 231. *Grünlichte Augen sind beinahe ein entscheidendes Zeichen von Heftigkeit, Feuer und Muth.*

40) Porta l. c. p. 408.

*) L. c. p. 259.

41) Porta l. c. p. 383.

eximii id contenderunt. Prae aliis Roosius[42] hanc sententiam aperte defendit, atque exempla attulit, quibus ipsam confirmaret. In iis quoque erat amicus ejus Kühnius, juris doctor, quem hac facultate admodum polluisse dicit; grave etiam est testimonium, quod hac de re Fontana in epistola ad cel. Scarpam (Florentiis 1804) adtulit. Enarrat enim se, cum motus spontaneos (?) in cordis pulsu provocasset, eosdem in iride tentasse, quos conatus, cum frustra per aliquot septimanas repetivisset, eo demum pervenisse, ut irin pro lubitu in oculo tractaret, i. e. illam extenderet, et pupillam contraheret[43]. Accedit Purkinjeus[44], affirmans, sibi multo exercitio quoque contigisse, ut iridem arbitrio suo movere posset, et quidem modum, quo sibi id contigerit, hisce describit: »Observavi, me per duplicem fenestram inspiciente et intuitum in bina grana massae vitreae recta linea contigua per vices figente, semper granum post granum conspectum, factum esse imperspicuum, et quidem remotius, cum propius conspicerem, et propius, cum remotius intuerer ut simul oculi motus observarem, discum vitreum cum grano cepi et tenui ante speculum, in quo locum quemdam puncto notaveram. Si igitur granum, punctum notatum et pupillae imaginem in speculo adumbratam linea recta ponebam, ita, ut se sequerentur, et tamen singula conspici possent, et aliud intuebar: pupilla remotius objectum intuens amplior evadebat, propius autem conspiciens, comminuebatur. Quos motus cum diu repetivissem: eos efficere, quin objecta media adhiberem, tentavi, et omnino mihi contigit, ita, ut jam prospiciens in vacuum, haud certa re mihi proposita hosce motus provocare possim.« Nec non Traversius[45] hujus sententiae patronum se praebuit nonnullis, quas affert rationibus notatu digna est epistola quam affert amici, doctoris Rodgedii, in quo iridem pro arbitrio movere posse Rodgedius ipse testatur. Haec facta, haud in dubium vocanda, sufficiunt ad sententiam istam, per se admodum probabilem, ad summum veritatis gradum perducendam. Notissimum est, quod jam supra

---

42) Vid. ejus. *Grundzüge der Lebenskraft. Braunschw.* 1797. *p.* 71.

43) Vid. *Harless* et *Ritter Journal der ausländischen Medic. chirurg. Litteratur. Vol. V. p.* 41 — 45.

44) *Beiträge zur Kenntniss des Sehens in subjectiver Hinsicht. Prag* 1819. *p.* 124, 125.

45) *A synopsis of the diseases of the eye and their treatment; second edit. London.* 1821. *p.* 71. — 78.

quoque homine remotas res consideranti, pupillam amplificari, aeque ac rerum propinquarum consideratione ipsam angustiorem fieri, quin semper objectum certum adsit; tum quoque in tentaminibus laudatis, praesertim in eo, quem Purkineus instituit, quapropter et rationem tentaminis longiori narratione protuli, affectum quemdam vim suam exercuisse, neutiquam negabis. Inde jure quaeritur, num arbitrium in iridis motus, quod statuerunt, revera immediatum fuerit, an potius mediatum, quale est arbitrium, quod in motum cordis, supra memoratum, exercere constat, cujus rei exempla non rara sunt, et a me ipso petere possum.

Haecce in irida movendam tentamina ob lucis vim, quae perpetuo et necessario in oculum exercetur, certe sunt difficilima et tantam cautionem, ne fallamur, requirunt, ut ad verum et certum disquisitionis exitum non facile perveniamus. Nihilominus quaestio ista, quam initio me accuratius pertractaturum esse speravi, sed ob necessarias, quibus haec dissertatio circumscribitur, limites, nonnisi attingere potui, tanti est momenti, ut singulari disquisitione eam omnino dignam arbitrer, qualem et tempore futuro adhuc prodituram esse jure exspectamus.

§. 9.

In motibus oculi nunc considerandis musculos ejus vim suam exercere videmus. Sex musculi isti, quorum quatuor recti et duo obliqui ita bulbo adjacent, ut ipsum quaquaversum retro et prorsum, sursum et deorsum, recte et oblique intendere ac movere, figere, et circa suum axin circumrotare, atque ita solitarii vel conspirati agentes, singulos animi motus optime imitari queant. Sic animo in se regrediente, quod fit intenta meditatione, alta adoratione, moerore, et bulbus, M. rectis simul agentibus, in orbitam recedit; contra mente sese explicanti et in rebus externis versanti, quod fit in observatione, desiderio, laetitia, ira etc. etiam bulbum ope obliquorum procedere cernimus. Oculus sursum movetur, adjuvante recto superiori, si animus extollitur, uti pio affectu, admiratione, superbia; deorsum, ope recti inferioris, si animus aut tristitia aut modestia deprimitur; extra et deorsum intenditur, consentiente recto externo, si animus a re quadam aversatur, uti in contemtione ac indignatione; denique extra et per circulum jactatur bulbus amantis a recto externo.

Inde musculis hisce et singularia contigerunt agnomina, quales sunt admirator, superbus, humilis, indignatorius, bibitorius, amatorius. Commemorandus adhuc est subtilis ille sensus oculorum musculis innatus, quo omnes bulbi conditiones et maxime eae, quae ad visum pertinent, facillime moderari queunt, quocirca de eo infra in ophthalmophysiologia prolixius disseram.

Hisce igitur motibus intuitus, quippe qui est oculi quasi animă, cohaeret. Intuitus diversissimas subit mutationes, et tam multiplices formae ejus sunt atque motus, quam varii sunt ψυχῆς intentiones, affectus et motus. Omnis nimirum intuitus natura tum magis est extensivus, tum magis intensivus, explicatus aut contractus, incitatior aut remissior, stabilis aut vagus. Intuitu maxime manifestatur animi aeque ac corporis vita aut torpor, vigor aut debilitas. Sic intuitus singularis iste, qui fulminis adinstar nos afficit, ingenium omnibus habile, indolem ad imperium proclivem et vim effectricem denotat. Intuitus acutus et splendens acumen ingenii et mentem ad observationem idoneam: intuitus penetrans magnam vim intelligendi et subtilitatem significat, et vice versa. Si firmus est intuitus et rectus, indolem fortem et constantem inesse videbis; contra cui idem fugax est atque vagus, et animus est instabilis ac levis. Intuitus apertus et cuivis facile obvius sinceram et omnibus benevolam indolem indicat. Intuitu suave radianti amor proditur, lene splendenti laetitia. Iram et furorem furores et ignei motus intuitus concomitantur. Mirabile etiam, intuitum hominis, quem primum aspicimus, tantum in nobis valere, atque relationem amicam sive inimicam inde futuram a primo isto intuitu, quod cuivis notissimum, saepe omnino dependere. Quantam porro vim homo in intuitu ponere et quantam eo potestatem in homines et animalia exercere possit, neminem latet. Magnetizans intuitu quem consilio in aegrotum configit, eum pro arbitrio afficere atque ducere potest. Et quam cito intuitu sereno ad hilaritatem perducimur, econtra lacrymante misericordia et severitate tangimur! Nil tantopere dementes, quam acutus intuitus et quidem diu in ipsos conjectus concutere potest. Ita et torvus intuitus infantes lacrumari facit, catulis timiditatem, canibus furorem injicit. Quinimo Graeci et Romani venenosum effectum quibusdam intuitibus inesse sunt arbitrati *). Huc aliquatenus spectat fascinatio apud veteres tantopere decantata, uti v. c.

---

*) I. Ennemoser, *Geschichte des Magnetismus. Leipzig*, 1819. *p.* 83.

apud Horatium [46]. Neque recentiores hoc fugit; sic Bartonus [47] exemplis allatis nos eandem rem confirmat. Simile quid contingere videmus intuitu quorumdam animalium, uti serpentium, crocodillorum, aliorumque.

Postquam igitur oculum, ejus vim et significationem in universum consideravimus, ad singularia transeamus, eaque ad ordinem supra indicatum persequamur.

OCULI HABITUS

Quatenus a diversis animi intelligentis facultatibus pendet.

§. 10.

Ante omnia *Ingenium*, verus iste hominis genius, si qua corporis parte proditur, profecto in oculo et quidem hisce signis sese manifestat. Supercilia sunt solida, ubera, quasi nexa et haud procul ab arcu orbitae notabiliter prominenti atque certe delineato extensa et projacentia; spatium supercilia dividens sinuosum est vel gibbosum, unaque aut duabus plicis perpendicularibus usque ad latam nasi radicem protensis conspicuum, palpebra superior crassa, fortiter arcuata, nec non praecise definita, suprema sui parte striam profundam et cum palpebra inferiori facile conspicienda angulum obtusum ac magnum efficit; bulbus justae magnitudinis neque valde prominens, neque in orbitam multum recedens, alte concameratus, cornea humida, vivaque luce turgescenti, iri aut coerulea aut saepius fulva, pupilla ampliori, quam angustiori, igne, luce atque splendore admodum conglomerato in intuitu insignis [48]. Talis fuit oculus, qui internam ac divinam mentis vim, animum omnia complecten-

---

46) Vid. Epod. V. v. 4.

47) *Ueber die Zauberkraft der Klapperschlange, Leipz.* 1798.

48) Lavaterus in ingenii signis enumerandis, postquam frontis significationem ostendit, hisce pergit: *Bei allen aber, die in irgend einem Fache, nach aller Menschen Urtheil Genieen waren, fand ich den Ordensstern im Auge, und zwar einerseits im Blicke, Feuer, Licht oder Saft des Auges, vornehmlich aber im Profil-Umrisse des obern Augenliedes. Wo mir sonst keine Spur einleuchtete, fand ich sie wenigstens hier allemal entschieden. T. IV. p.* 86. Cf. quae ibidem paulo infra dicit.

tem et cuncta sibi subjicientem Julii Caesaris, Friderici II, talis, qui ingenium profundissima penetrans, et omnia sua vi convertens, Cartesii, Leibnitzii, Schellingii aliorumque prodebat.

Attamen horum signorum relatio inter se diversa est, ita, ut alia adaugeantur, alia comminuantur, prout ingenium intensivum est vel extensivum.

In intensivo ingenio, in quo *ratio* praedominatur, notas descriptas pleno gradu adesse videmus: delineationes graves sunt et ossibus prominent, atque ita stria palpebram superiorem inter et orbitam profundior evadit, palpebraque ipsa magis tegitur, praesertim autem in intuitu significatio plenissima.

In ingenio extensivo, in quo praedominatur *phantasia*, omnia ista non tam distincte expressa sunt et quidem ossium delineationes; bulbus magis prominere videtur, atque in intuitus vi conglomerata austeritas et serenitatis species se mutuo consequuntur, uti in Shakspeario, Klopstockio, Schillero et Goethio.

§. 11.

Si autem spectaveris eos, qui *intellectu* excellunt, supercilia invenies firma, densa, tectiformia, praecisa quasi et ad aequilibrium jacentia oculo prope apposita; in spatio inaequali supercilia intercedenti unam duasve plicas, palpebras crassiores facile conspiciendas et praecipue superiorem, quae limite non valde inflexo bulbum amplexatur; unde forma rimae longior existit et anguli acutiores; bulbus amplior, iris coerulea, vel flava vel fusco-nigricans, pupillaque major quam angustior reperitur, atque intuitus certus est, micans et penetrans [49].

Prudentia, *ingenii acumen*, et *subtilitas*, intellectus asseclae, aut potius diversae ejus species, et simili modo oculis exprimuntur. Sunt enim *Prudentis* supercilia bene formata, densa, firma, et tecti adinstar umbrosa; palpebrarum, quae facile conspiciuntur, superior remissa est et tam praecise super bulbo delineata, ut eum quasi in duas partes aequa-

49) Vid. in Lavater, *physiogn. Fragm. T. IV. p.* 376. Simulacrum I. Gessneri, quod subtilissimam vim intelligendi in oculo repraesentat.

les dividat; rima angusta et in longum producta angulos acutos efficit; bulbus mediocre vel adeo parvum obtinens spatium, profunde locatus est, et humidus, mobilisque, nigricante aut etiam saepius coeruleo colore, pupilla angusta, ac intuitus callide et clare scintillans apparet [50]).

In *acumine* supercilia ita comparata oculis propius adjacent, rima palpebrarum magis compressa quam angusta est, intuitusque acuto igne splendens.

Ingenii subtilitas vero, maxime intuitu isto singula penetranti vix describendo, attamen haud facile ignoscendo, denotatur simulque oculi profundius in orbita sunt positi, et magis obumbrantur, atque iridis color ad obscurum vergit.

Homines, qui *lepore* sive *ingenio faceto* valent, superciliis oculo prope sedentibus, fortibus, circumflexis, et plerumque tetricis sunt insignes; palpebra superior praeciso limite delineata; bulbus parvus profunde locatus est et niger, intuitusque micans et emanans.

§. 12.

In *Memoria* supercilia alta super oculo pendent, magna, commensurata, rara, interrupta, tenuia atque brevia; palpebrae sunt mobiles; rima ampla et aperta; bulbus magnus, clarus, parumper splendens ac plerumque coeruleus prominet [51]).

Si oculi ejusmodi recte prominent, memoria rerum atque verborum significatur; si contra angulum interiorem deprimuntur, memoria personarum adest, qualis forma plerumque in pictoribus iconicis reperitur; cum autem bulbi simul versus genam inclinatur, ita ut spatium quoddam bulbum inter et arcum orbitae existat, facultas linguarum addiscendarum praevalet. Exempla insignia laudat Gallius Barilier et Pic de la Miran-

---

50) Vid. l. c. p. 380 ad imaginem Guidonis Bentivoli, in cujus oculo signa maxime perspicua eximiae prudentiae auctor reperit.

51) Gall l. c. hancce oculorum prominentiam e magna evolutione lobuli cerebralis medii, et quidem eam ipsius partem, quam pro memoriae sede habet, et quae posticam orbitae parietem promoveat, exoriri docet. Num forte inde explicabis, quod, si rem quandam in memoriam revocare volumus, oculos sursum et retrorsum i. e. versus sedem memoriae erigimus?

dole, quorum alter duodevigenti annos natus vigenti duarum linguarum peritus fuisse fertur.[52]).

§. 13.

Si jam istas facultates diversas vim suam exercentes consideraveris, et quidem prae aliis in *meditatione*, non satis admirari poteris rationem, qua ejus gradus ipsi atque modi in oculo exprimantur. Namque omnis cogitationum processus, aut facilis et velox, aut difficilis multisque impedimentis implicitus, aut dubitationum ortus et animi vacillatio usque ad omnimodam solutionem omnino manifestatur. Inde supercilia tum elata, tum depressa, tum ad nasi angulum detracta videmus, prout et ipsa meditatio animum diversimode afficit. Oculus simul cum capite mox molle movetur et intuitus est serenus atque severus, cum cogitationes facili via progrediuntur: mox bulbus ex angulo in angulum aberrat turbide intuens, siquidem et animus in meditationis copia huc illuc aufertur: mox autem, capite prorsus pendente, oculus torve prospicit, dubitatione in animo exorienti: mox tandem, cum dubitationis difficultates fuerint expeditae, prior oculi serena species redit.

Nec minus viva imagine *perceptio* et *auscultatio* animi externa aeque ac interna oculo exprimuntur. Supercilia enim hic versus nasi radicem detrahuntur atque corrugantur; bulbus palpebrarum apertura compressa figitur; pupilla, qua radii lucis facilius conglomerentur, angustior existit, atque ita intuitus acuitur, haud aliter, ac si res subtilioris naturae sit cognoscenda. Cum autem subtili quavis et intenta meditatione animus in se recedit, et oculus clauditur, quo omnes res externae ac impedientes ex intuitu removeantur[53]).

§. 14.

Quemadmodum autem istorum animi facultatum conditio legitima oculo exprimitur, ita quoque eorum debilitas, inopia aut prorsus absentia illo significantur. — Delineationes oculorum in *stupidis* nulla praecisione sunt adumbratae et in latitudinem protensae; oculi ipsi majore,

---

52) Horum imaginis descriptae sunt in operi magno supra allato P. LXXXIV. fig. 6.
53) Engel l. c.

quam eorum est longitudo, spatio sunt divisi [54]). Supercilia confusa, alte posita et valde arcuata; in palpebris latis atque laxis accuratam finitionem desideras; bulbum, cujus pupilla extra modum est ampla, longe prominet, rima palpebrarum valde aperta; iridis color plerumque coesius est aut caprinus; in oculo languido et igne ac vigore destituto, intuitus tardus, frequenter una eademque re absque consilio defixus torpet, et animum a meditatione alienum et inanem mox designat.

§. 15.

Jam si, ulterius progredientes ad mentis aberrationes, *Melancholia tristi* affectos consideremus: signa magis etiam singularia nobis offeruntur. Supercilia enim eorum reperimus corrugata, conjuncta et dependentia; palpebrae superiores, aeque ac in desiderio plenis, super oculum vagum demissae quiescunt [55]); in intuitu mysterioso tum circumvaganti, tum defixo, animus retentus, tetrica meditatio, moeror, hominum aversatio et versus res externas aequanimitas produntur.

Cum vero *melancholia hilari* est *indole*, sive quam dicunt *Moria*, omnino diversa ejus imago adumbratur, eaque quidem variatur, prout cogitationum series admodum mutabilis, qua aegrotus ejusmodi occupatur, est diversa. Sic e. c. qui principem sese arbitratur, ejus oculus apertus et magnifice circumlatus, regalem animi superbiam adprime imitatur; quem autem eximiae puellae tenet amor, ejus oculus voluptate quadam micat et serenitate ac benignitate plenus est, quod maxime in insolito corneae et albugineae splendore atque bulbi mobilitate vides [56]).

§. 16.

Neque, quibus *dementiam* agnoscas, signa vix fallentia desunt. Sunt enim oculi magni, prominentes admodum et cum stupore truces; supercilia gravedine sua sunt demissa; palpebrae praesertim in ridentibus multas efficiunt plicas; oculi species obscura est et pupilla extra modum magna; intuitus vagus est, stupidus, neque alicujus rei se participem prae-

54) Lavater *physiognomischer Nachlass p. 66: Iedes Gesicht ist dumm, dessen Augen merklich weiter als eine Augenbreite von einander abstehen.*

55) Löbenstein-Löbel *Grundriss der Semiologie des Auges* p. 30.

56) Horum imagines vide apud Lavaterum *physiogn. Fragmente. T. II. p.* 181 - 184.

bet. Addendum, quod dementia *senilis* quoque propria quadam lincamentorum incertitudine, mollitie et languore oculi observanti continuo se prodit [57]. In summo autem dementiae gradu, qualis in *cretinis* reperitur, oculus vi atque significatione fere omnino caret; intuitus, mox torve mox vage prospiciens, torpet atque languet, neque ulla re nisi alimentis movendus est.

§. 17.

Mania demum iisdem, uti ira et furor, notis exprimitur, hoc nonnisi discrimine intercedente, ut ea in maniacis sint constantia. Spasmodica quasi superciliorum et palpebrarum adest contractio, qua bulbus singularem istam malitiae speciem nanciscitur. Iris, quod jam supra est memoratum et de hisce morbis in universum valet, coloris in pallidum mutationem subit. Ignei terribilesque intuitus et in oculo ferocia insidiaeque, praesertim paroxysmo instanti atque praesenti denotantur. Accedit, quod memoratu dignissimum est, quod ex eorum oculis uti ex oculis animalium per noctem rapacium, observationibus tempore novissimo factis fulgor emicet [58].

OCULI HABITUS.

Qui refertur ad animi affectus ex facultate sentiendi sic dicta deducendos.

§. 18.

In *admiratione* oculus aeque ac totum corpus animi extensionem atque studium, magnum aliquid, quodque omnem ejus vim cognoscendi expleat, concipiendi, imitatur ac exprimit [59]. Inde supercilia paululum extolluntur, tumque immota manent; rima palpebrarum major fit, bulbusque, qui amplior exhibetur, dilatata pupilla, attonitus objecto inhaeret.

---

57) Löbenstein - Löbel, l. c. p. 31 et 32.

58) Danz, *Zeichenlehre, Anhang, S.* 366. et Reil, *Rhapsodieen.*

59) Engel, l. c. p. 144.

§. 19.

Si res, quam admiramur talis est, ut eam *observantia* dignam judicemus, supercilia, ut ita dicam, ante oculum progrediuntur, et ad nasum conjuncta, versus tempora parumper subtracta esse videntur 60). Simul palpebrae magis distenduntur, intuitusque pupilla expansa sursum spectat, signum illud reverentiae haud facile describendum prae se ferens.

§. 20.

Verum si admiratio ad naturam sublimiorem, ad numen divinum, cujus praestantiam sentit animus, refertur: tum adaucta dignitate et puritate transit in *adorationem*, quae in oculo motus flexuosos similesque iis, qui metu exoriuntur, provocat. Nam sunt ejus supercilia uti tota facies demissa, attamen pupilla sub palpebra superiori crebro nictanti ad coelum versa apparet. Quum autem ad summam Venerationem perventum est: oculus superciliis demissis clauditur, atque utut animus in semet ipsum versus in se recedit.

§. 21.

Stupor, qui ex eadem animi affectione ac admiratio, scilicet ex vi quadam ipsius conscientiam repentino et insolito modo interrumpenti proficiscitur, et nonnisi gradu ab ea differt, ipsi et in motuum similitudine proxime accedit. Est enim stupor alta quasi animi inspiratio retenta 61), indeque oculi motus extensionis speciem exhibent; trahuntur supercilia in altum, palpebrarum rima aeque ac pupilla amplificatur, et intuitus, animi rem magnam concipere tendentis imago, in ea difixus riget.

§. 22.

Amor, si vel pia sacraque mentis affectione est commistus, vel ad jucundas, quales a phantasia non raro procreantur imagines, spectat, singulares motus in oculo offert. Amore enim ejusmodi fieri videmus, ut

60) Lebrun, l. c. p. 3.
61) Engel, l. c. p. 147.

supremi superciliorum crines parumper deorsum moveantur, bulbus sub palpebram superiorem paulum abscondatur, intuitus ipse autem huc illuc vagans igne minus vivo luceat et quasi in interiorem ocularum recessum reverti conetur; quo accedit signum animadversu dignius, ut nempe totus oculus infringatur et quasi nebula obducatur. Haec oculi conditio non raro in permanentem faciei habitum abit, qualem in hominibus fanaticis, inque iis, qui phantasiae imaginibus perpetuo occupantur, saepius reperimus 62).

§. 23.

Luculentius etiam arctissimus iste nexus inter motus animi et oculi proponitur in imagine, qua *Exstasis* in oculo repraesentatur. Omnino aliter haecce imago est comparata, si Exstasis 63) ex sola mente, nempe ex summa ejus voluptate proficiscitur, quam cum corporeum aliquid illi admixtum est, et inde voluptas veluti permixta animi et corporis oritur. In illius, qui priori voluptate est correptus, capite supercilia leniter inclinato, vultuque serenissimo, elata, oculos apertos et clarissima luce circumfusos, beatos ad coelum spectare videmus. In alteris bulbum in facie placido et laeto risu affecta atque superciliis paululum elatis, post languidam palpebram superiorem dimidia sui parte latere et quasi in voluptatis syncopen demersum, ejus splendore semifracto, conspicimus.

§. 24.

Haud minus viva imagine *laetitia*, tot virtutum totque honestarum voluptatum fons atque origo, oculo exprimitur, cum animus felicitatem suam sentiens, internam serenitatem proponit, eamque cum aliis communicare studet. Namque in vultu hilari supercilia cum flexu quodam curvato tolluntur et tum immota manent; cornea et albuginea aeque ac iris adaucto turgore vitali extenduntur et vivo splendore circumfluuntur, quo fit, ut bulbus ex rima palpebrarum subhianti prodiens speciem istam exhilarantem exhibeat, quam, ut omnino persentias, in ipso laetabundo intueri debeas.

---

62) Engel, l. c. p. 272.
63) Id. l. c. p. 236 et 37.

Laetitia in *risum* transeunte supercilia in medio oculo extolluntur et versus nasum deprimuntur; oculus pene clauditur, mollisque intuitus aut humescit, aut in nonnullis adeo lacrymis obducitur. Similia signa percipimus, cum laetitia ex animo moto sive grato sensu prodierit; qualem animi conditionem ob inexspectatam rerum in melius mutationem non raro lacrymae et amplexus consequuntur.

§. 25.

Ingratus *contemtionis* sensus, qui tum oritur, si rem, quae primo intuitu animum nostrum attentum aut admirantem reddidit, accuratius considerantis animi attentione et admiratione indignam esse reperimus; uti aestimationi est oppositus, ita etiam signis omnino diversis in oculo exhibetur. Nam corrugator supercilia contrahit; versus nasum simul et deprimuntur et sibis invicem appropinquant, ad tempora autem sustolluntur; vultus inaequalis, in quo alter oculorum magis quam alter, dum pene clauditur, apertus patet[64], bulbique (agentibus musc indignabundis) torvi atque limi despiciuntur.

§. 26.

Simili modo cognata *aversatio* oculo exhibetur. In omnibus motibus studium patefit, quo rem aversatam, utpote affectus hujus rationem, removere conamur. Supercilia sunt depressa et versus nasum retracta; musculus palpebrarum rimam paulum contrahit; pupilla despicit unaque capite converso a re aversata avertitur, nauseam quandam atque offensam ostendens.

§. 27.

Jam si ad signa, quibus *timor* in oculo proditur, consideranda progredimur: non minus nativo modo perturbationem animi, qui infelicem eventum praesagiens angitur, et periculum extrinsecus appropinquans evitaturus, in semet ipsum recedere conatur, motibus congruis expressam cernimus. Nam supercilia metuentis contrahuntur ac paululum a parte nasi extolluntur. simul palpebrarum aperturae spatium comminuitur; in iri similes et oscillantes motns se consequuntur, dum bulbus, qui discri-

---

64) Parsons *on physiognomy*, p. 64.

minis momento, ut ita dicam, circumspectus prodierat, periculo aspecto cito refugit et inquietus veluti asylum quaesitans huc illuc movetur.

§. 28.

Quodsi vis metum excitans maxima est et subito exercetur, *terror* efficitur hisce signis conspicuus: supercilia in media sui parte admodum elata atque erecta immobilia sunt, unaque eorum musculi graviter delineati et inflati; rima palpebrarum, uti in stupore, amplissima spatio aperta tenetur, pupilla extensa et deorsum versa apparet, atque stupens, turbidusque intuitus vehementem animi quasi tetanici correptionem facillime prodit.

§. 29.

Pudor, qui e sensu simili quo timor proficiscitur, etiam in oculo similibus neque minus significantibus notis depingitur. Uti enim initio, cum animus repentino concutiatur et excitetur, cordis motus accelerantur, indeque facies turgescit ac genae rubore suffunduntur: ita superciliis parumper elatis oculus primum magnus est et apertus, mox autem cum homo se deprehensum senserit, bulbus ut contumeliae dolorem effugiat, intus recedit, atque sub palpebram superiorem demissam sese recipit[65], et speculatoris ad fugam semper parati adinstar subinde timidus prospicit. Si vero vitium detectum latere nequit et quidem gravius est, tum veluti electrica vi ictus pudibundus intuitum humo figit, nec sursum videre audet metuens ne omnino prodatur, aut contemtionem et ludibrium in vultu adversarii percipiat. Nil inde pudibundo molestius est, magisque ad iram ejus movendam confert, quam si studio in oculum ipsius intuearis; unde accidit, ut pudor non raro in iram et indignationem abeat, aut certe affectibus ejusmodi misceatur.

§. 30.

Ad pudorem quoad modum, quo in oculo significatur, proxime accedit *tristitia*. Namque conatum tristis, ut a mundo infesto recedat atque in semet ipsum refugiat, expressum videmus et quidem motibus contractivis et flexuosis. Supercilia corrugata ad mediam frontem parumper attrahun-

---

65) Löbenstein — Löbel, l. c. p. 10.

tur, palpebrae extense delabuntur; bulbus, albuginea humescente, et cocruleo colore infecta, corneaque nebula quasi obducta, languide et turbide intuens tarde movetur.

Si tristitiae gradus usque ad *moerorem* gravem adaugetur, oculos animum a rebus externis non amplius affici ostendit: nil enim intuitum ejus ad humum dejectum et confractum movere et extollere postest, ut dicit poeta [66]:

— — — lumina moestis
Stant immota genis, nihil est in imagine vivi. Alio modo autem tristitia exprimitur, si ei affectus doloris corporei est immistus. Tum enim vertex superciliorum in mediam corrugatae frontis partem subtrahuntur sibique appropinquant, atque oculus capite inclinato intuitum intima pectora commoventem fracta ejus luce et contentione ad coelum convertit; quo pupilla maxima ex parte absconditur.

Si iste animi spasmus in salubrem crisin dissolvitur, lacrumas superciliis, in facie convulsive mota, demissis palpebrisque humescentibus pene clausis, abundantes erumpere cernimus.

§. 31.

Si vero affectus ejusmodi, quin ingrediatur crisis, ad summum gradum pervenerit, sive animus praesentem rerum suarum conditionem in meliorem commutari omnino non posse perspiciat: tum exoritur *desperatio*, unaque cum ea animi vehementissimo spasmo moti in oculo expressio. Inde vicissitudo ista oculorum, qui ferociter et spasmodice agitantur; cornea et albuginea tum splendida est et sanguine suffusa, tum turgida vehementiores radios profundit [67]. Iris rubicunda et convulsive mota aberrat atque absconditur sub demissa et versus nasum maxime contracta ac hirsuta supercilia; palpebrae inflatae squalidae et lividae, uti tota facies deformitate sua terrefaciunt.

§. 32.

Ira, sensus offensae atque cupiditas poenae referendae, quemadmodum, tum intensivus, tum extensivus affectus est, ita et in oculi partibus et in-

66) Ovid. metamorph. lib. VI. fab. 3. v. 304 — 5.
67) Löbenstein — Löbel l. c. p. 15.

tensivis motibus denotatur. Eo momento, quo primum animus ad iram incitatur, supercilia veluti nubes tempestatem nigram invehentes super bulbi rotantis fulminibus mota contrahuntur et corrugantur simulque cornea usque ad tumorem est extensa, sclerotica splendida rubet, et iris pupilla contracta, igne suffusa atque agitata apparet.

Si ira ad summum gradum, ad *fuerorem* scilicet ita promovetur, ut conscientiam eorum quae perpetrat homo amisisse videatur: affectus ex ira et desperatione mixti signa ipsis consentanea iu oculo provocat. In facie squalida et livida supercilia sudore frigido contecta et hirsuta in media sui parte elata versus nasum autem detracta sunt atque compressa; oculi vi spasmodica aperti; sclerotica magis quam solet est conspicua et livida rubore suffusa uti et cornea micat; pupilla vaga aeque ac intuitus turbidus minax huc illuc aberrat 68).

§. 33.

Ut autem ira in *ultionis* cupiditatem transit, signa variantur; namque oculum e superciliis tum demissis tum sublatis ferocem prodire et motibus convulsivis incitatum igneo intuito infestum hostem, veluti perniciei eum daturum petere videmus; mox autem postquam animi tempestas consederit, furiosa oculorum flamma extinguitur, eiquae languidi in orbitam collabuntur, dolorem de injuria accepta vindictaeque impotentia exhibentes 69).

§. 34.

Spes, donum hocce divinum, quo futura salus praecipitur, oculo revelatur mixtis motibus, qui laetitia et animo, desiderio et metu exoriuntur; est enim horum affectuum complexus quidam. Inde certam ejus effigiem adumbrare difficillimum, quamquam expansivos laetosque motus in ipsa praedominari affirmem. Notas minus magisve constantes praebent supercilia paululum arcuata et sublata, bulbusque ex mediocri palpebrarum apertura intuitu lene splendenti et sereno, desiderio atque metu attento prospiciens.

---

68) Lebrun l. c. p. 45.
69) Eugel l. c. p.

§. 35.

Animus, summus quasi spei gradus, quo homo prudenti et libera constantia gravibus impedementis repugnat, aut officio satisfacturus maxima pati detrimenta non recusat, utpote affectus expansivus, homogeneis quoque motubus in oculo notatur. Supercilia arcuata continuo tolluntur, palpebrae (praecipue superior) eriguntur, atque oculus, facie ejus turgescenti ac splendenti, mobilis, certus, et vi quadam hilari circumspicit.

§. 36.

Imago *superbiae* in oculo varie adumbratur, prout ex quo oritur sensus excellentiae aut virtutis verus aut falsus est, i. e. prout ex vera conscientia virtutis, sive ex imaginatione prodit. Quodsi prior affectus nempe laudabilis superbia animum occupat: hilaritas ejus fortitudine commista exprimitur signis hisce affectibus propriis, quae supra descripsimus. Alio autem et plane diverso modo alter affectus ex virtutibus nonnisi opinatis exoriens, quem inanem superbiam dicimus, significatur; hic in facie tumefacta supercilia arcuata frequenter extolluntur, rima palpebrarum studio amplificatur, atque turgidus oculus stupide sibique placens circumcirca adspicit, ita, ut Juvenalis 70) haud injuria exclamat:

J demens et saevas curre per alpes,
ut pueris placeas et declamatio fias!

§. 37.

Non minus significanter *Invidia*, discidium istud ac rixa, qua homo secum ipse pugnat, in oculo proponitur; omnes apparitiones taedium ex aliorum emolumentis exoriens, manifestant. Supercilia corrugata sunt, palpebrae magis contractae, quam sponte sua mobiles apparent; bulbus, profunde locatus, cujus cornea turbida, albuginea flava, splendore foedo infecta, iris fusca sive subrubra ac pupilla vaga est, spe sui commodi studiosa exoriente cum libertatis specie hilariter circumspicit; mox autem spe ista evanescente, meticulosus, latentes, obscuros atque indignantes intuitus in objectum, cui invidet, conjicit 71).

70) Satyr. 10. 166.
71) Löbenstein-Löbel l c. p. 17.

§. 38.

Haud plane iisdem, quod vulgo contendunt, ast similibns notis in oculo proditur *Aemulatio*, quae uti Invidia ita et avaritiae est cognata. Sane invidiae indolem hic in contractione superciliorum et palpebrarum atque infestum inquietumque studium (quod idiomate nostro aptissime dicitur *Sucht*) facile agnosces in obscuro turbidoque oculo, qui limus rem exoptatam aspicit. Verumtamen quamdiu affectus hicce non extra naturam suam excedit, turpis deformitas et abjecta timiditas, quibus oculus invidi insignitur, omnino abest; ac non raro potius animus quidam et nonnil superbiae in palpebra superiore elata, et lucido certoque intuitu ostenditur.

OCULI HABITUS,

qualis a diversis appetendi facultatis rationibus constituitur.

§. 39.

Desiderium, quippe quod conatus animi est extrorsum tendentis, ut res ipsi placens ipsumque alliciens appropinquet ac ejus dominium subeat, motibus expansivis in oculo exprimitur. Densantur enim supercilia et aliquatenus super oculum progrediuntur; rima palpebrarum magis quam solet aperitur, pupilla igne plena, et intuitus intentus est, serenus atque cupiditatem, ut animo satisfiat, proponit. Quodsi summus desideriae gradus persentitur, oculus, uti in summo pietatis affectu, recedit et claudi incipit.

§. 40.

In *avaritia* curam et cupidinem magis sive minus veri dominii oculo manifestari cernimus hisce signis. Curvata sunt supercilia; rima palpebrarum tum major est et altior, tum magis contracta prout affectus prior vel alter praedominatur. Bulbus parvus et profundior positus foeda quadam obscuritate est infectus; iris saepissime caesia aut nigra atque intuitus calliditatem et cupidinem refert.

§. 41.

Amor vulgaris, qui ab affectu, quem supra descripsimus, sublimiori multum differt, non minorem tamen vim in oculum exerit, propriaque imagine laetitiae signis non adeo absimili manifestatur. Nam oculi capite inclinato superciliis parumper sublatis et palpebrarum rima comminuta, leniter atque simplici modo moventur. Simul autem superior palpebra aliquatenus in altum contrahitur, unde intuitus iste mollis ac desiderium movens, quem Graeci ὑγρὸν dixerunt et maximopere Veneri tribuerunt. Cornea et albuginea humore quodam turgent; pupilla, prout affectus variatur, tum leniter lucenti, tum placidum et oblique versum intuitum praebenti, tum vehementius rei amatae specie mota, igneos quasi radios profundenti, quibus omnibus desiderium ut amans cum re amata conjungatur, et alter alterius amorem combibat patefieri videmus.

§. 42.

Si demum *odium*, amori oppositum affectum, qui in rei sive personae aversatione aut subito exoriente aut continuo permanenti est positus, consideremus, illo, quippe quod cum invidia et livore multum habet cognitionis, similes etiam in oculo exoriri apparitiones videbimus. Namque supercilia corrugata super oculum descendunt; palpebrae parumper elatae comprimuntur, et bulbus turgescens foedum prae se fert splendorem; signum autem primarium suppeditat pungens iste atque torvus intuitus, in quo indignatio et aversatio proponuntur.

OCULI HABITUS

qualis proprietatibus ethicis conformatur.

§. 43.

Verum oculi signa non modo ad animi rationes hucusque descriptas pertinent, sed etiam proprietates ethicae in universum virtutis nimirum et sceleris varia genera oculo prodente latere nequeunt.

In hominibus virtute praeditis delineamenta oculi praecise descripta omnesque ejus partes ad pulcherrimam harmoniam constituae sunt. Super-

cilia ad aequilibrium posita, quin imo ipsa, palpebrae uti etiam nasus et labia lineis parallelis jacent; oculi justae magnitudinis, ingenua libertate patent et claram intuitus lucem, in quo quies atque mobilitas, mitis austeritas et serenitas conjunguntur, suppeditant, quae omnia praecipue videnda sunt in hominibus justis atque probis *).

In iis, quorum indoles maxime ad benignitatem est proclivis, supercilia accurate sunt delineata, mollia et leniter incurvata; palpebrarum fines facile et libere sunt circumflexi; oculus madiocriter apertus et tranquilla vi plenus, benignitatem prodit. — Mansuetorum supercilia tenuia sunt atque mollia, praecise formata et pene horizontalem habent positionem; palpebrae accurate sunt delineatae et circumflexae atque rectos angulos conformant, rima utriusque oculi est omnino aequalis, oculo ipsi inest serenitas et lenitas hominis semet ipso acquiesentis et omnino foeminina indoles. —

Qui fido sunt animo, eorum supercilia aeque ad aequilibrium sunt conformata; oculi praecise descripti, mediocris magnitudinis et aperti, recta via intuentur et severe splendent. —

§. 44.

Contra sceleris expressam imaginem nobis proponamus, prae primis accuratam et distinctam oculorum delineationem desiderabimus — In improbis supercilia condensata, aspera et oculo ut videntur presse adjacentia; oculi male descripti atque in longitudine vultus positi, parvi sunt et sublusci; intuitus acris scintillta, riget atque speculatur.

In oculis hominum, qui libidini sunt dediti, delineationes latae, molles et laxae offeruntur. Oculi plerumque oblique positi longius quam solent a se distant, palpebrae et praecipue superiores crassae sunt et libidinum onere quasi depressae labuntur; intuitus languet et fracta luce placide et meticulose circumspicit.

Eorum, qui ad savitiam et atrocia facinora inclinantur, supercilia sunt conjuncta, concreta, aspera, pilosa atque obscuro colere oculis prope superpendent, atque pupillarum orbes inaequales; intuitus non raro obliquus, trux, amarus, snbridens, obscurus, et minax, gaudium de alio-

*) vid. Lavater T. IV, p, 597 — 599.

rum damno atque saevum indolem prodit. Quorum signorum inter se relatio diversimodo est temperata, prout una alteraeve ad scelus propensio praedominatur *).

OCULI CONDITIO

quoad in eum diversitas sexus vim suam exerit.

§. 45.

Neque minus perspicue indoles viri et mulieris per oculi naturam cognoscenda nobis proponitur.

Nam sicut in viro ratio prae sensu dominatur: ita in oculo ejus vis intelligendi, animus, constantia et robur magis significantur. — Inde explicabis; supercilia recta et ad aequilibrium constructa, ipsae crinium teneae sunt latiores, densiores, et capillis longioribus consitae; spatium minus snpercilia et palpebras intercedit, palpebrae et quidem superiores sunt robustiores et plicas profundiores efficiunt, unde minores apparent, cutis eorum uti et corporis in universum asperior, rugis plenior et obscuriori colore infecta, apertura palpebrarum est amplior atque rotundior angulis, quos efficinnt, majoribus et margine simpliciter curvata et latiori calia breviora sunt et crassiora, externa bulbi species rotundior est, magis concamerata atque robustior. — Intuitus denique ipse majores animi et corporis vires designans igne audaciori atque fortiori splendet. Et haecce omnia eo magis sunt perspicua et certa prodeunt, quo virilior et robustior est homo **). —

§. 46.

Cum autem in muliere in universum vis sentiendi praedominetur: idem fieri in oculo cernimus, namque quae ex sunsu prodeunt, uti lenitas, gratia et tranquilla animi actio; ab eo magis manifestantur. Supercilia in iis offeruntur nobis simpliciter incurvata, accurato limite circumscripta et tenuia; capilli eorem sunt rariores et breviores atque cuti tenaciores adjacent. Supercilia et palpebram superiorem, quae minus est substracta et inde minorem plicae profunditatem exhibet, majus spatium discernit; etiam palpebra inferior planior est, cutis ejus subtilior, le-

*) Simulacrum talis monstri scelerati vid. apud Lavatar. T. II. p. 194.

**) Ch. Fl. Th. Schreger Versuch einer vergleichenden Anatomie des Auges. p. 24. 25.

vior, et magis pallida, palpebris, quarum margo angustior est et magis circumflexa, rima et uterque angulus minor efficitur, cilia rariora suntleniora et longiora; bulbum minorem et totam ejus speciem externam, teneram, planiorem et potius ad formam longitudinis accedere videmus; intuitu molli atque grata luce proprietates supra descriptae perspicue significantur. —

CONFORMATIO OCULI.

qualis ex aetatum diversitate existit.

§. 47.

Quaevis diversarum vitae nostrae aetatum diversam etiam animi ejusque conditionum temperaturam in oculo manifestat.

Ut ab infantia incipiamus, oculorum delineationes non definitae sed planae atque rotundae reperiuntur; supercilia debilia sunt adhuc, parum evoluta et minus magisve claro colore conspicua, et simile quid de ciliis est dicendum, palpebrae tenues mediocrem offerunt aperturam, cornea densior est atque planior, albuginea clara et pellucida ad subcoeruleum lactis colorem accedit; iris pallido colore insignis pupillaque ampla est, intuitus ipse innocentiam tantopere cuivis placentem et adulantem, teneram indolem atque gratam lenitatem profitetur. Neque negabis, jam nunc in nonnullis oculum edocere, ingenii dotes in iis postmodo aut esse adfuturas, aut etiam defore.

§. 48.

Omnia ista signa multo certius in aetate juvenili expressa conspicimus. Superciliorum taenia jam est, crementis captis, major latiorque, crines densiores validiores et colore obscuriore notabiles exhibet, similemque mutationem subiere cilia; palpebrae crassiores majorem efficiunt aperturam; bulbus magis evolutus et simul altius est concameratus, cornea pellucidior splendidiorque, sclerotica autem densior et lucidior evasit, iris obscurior facta colorem postea constantem assequitur, pupilla in angustius spatium contrahitur, oculi intuitus levem et liberalem indolem, vitae laetitiam majorem minoremve animi potentiam et annis adolescentiae amoris desideria adesse pronuntiat.

§. 49.

In aetate virili, cum reliqua animi et corporis conditione oculi partes, quarum in iuvene adhuc florem videbamus, ad summam perfectionem et maturitatem pervenisse cernimus. Maxime autem intuitus virilem austeritatem induit, atque constantiam, animi corporisque robur et idoneam agendi vim designat.

§. 50.

Quodsi hucusque conditiones oculi eorumque signa ad summum evolutionis gradum ascendere cernimus: jam in aetate decrepida illa rursus deficere conspicimus et quidem eo gradu, quo aetas ista progreditur. Nam supercilia rariora et sicca canescunt, palpebrae laxae atque plicosae sunt et praesertim superior dependet, unde angustior earum fissura prodit; cornea, quae planior fit, aeque ac coniunctiva et sclerotica pelluciditatem fere amittit, colorem caesium induit et circulo flavescenti, vel lacteo, quem arcum sinilem dicimus, circumdatur; iris uti et crines coloris in pallidum devergentis subit mutationem, pupillae mobilitas comminuitur, spatium inter orbitas certos suos fines amisisse videtur, et intuitus languidus, turbidus, austerus et defixus vitae exitum et caducam sortem, simul et copiam experientiae adesse monet.

OCULI SPECIES

prout diversitate temperamenti variatur.

§. 51.

Etiam varia temperamenta, congrua minori vel maiori modo virium vitalium, e quibus proficiscuntur, in oculo singula singulari modo denotantur.

Sanguinei oculus insignis est superciliis admodum fractis et ad angulum formatis; sunt eadem non ita densa uti in cholerico, et ab ipso oculo aeque ac a se invicem maiori spatio distant, palpebrae sunt crassiores, color oculi plerumque vivide coeruleus est; et sicut omnia in sanguineo mobilitatem, levem naturam et puerilem Francogalli indolem ostendunt: ita et oculus serenus atque mobilis vi animosa abundat.

§. 52.

In *cholerico* oculus praecise et ad angulos delineatus est, neque multum circumflexionis in eo reperitur, quod tum potissimum valet, si oculus profundior in orbita est locatus. Supercilia densa sunt, ubera atque solida; bulbus mediocrem habet magnitudinem, et si aliquatenus prominet: illo prodeunte apertura palpebrarum magna existit, et palpebra superior fere tota absconditur; cornea aeque ac tota oculi facies anterior admodum est concamerata; iridis color frequentius est fulvus, quam viridis aut coeruleus; et cum cholerici juventutem Italique indolem referentis tota natura velocem agendi vim, severitatem atque virium copiam prae se ferat, eius quoque intuitus vividus, igneus, certus ac dignitate plenus est.

§. 53.

Lineamenta oculorum *Melancholici* plicosa sunt atque gravia; supercilia invenimus obscura, demissa, et palpebras declives et parum mobiles; oculi magni iris fulva vel nigra est, atque tarditatem, indolem in se reconditam, vim gravem et animum subtiliter meditantem melancholici, qui quasi virilitatis ac Brittorum natura est praeditus, omnino refert intuitus, tum dijectus et tranquille prospiciens, tum tetrice circumlatus.

§. 54.

Phlegmatici, quippe qui veluti aetatem senilem et Hollandorum indolem proponit, temperamentum delineationibus oculorum laxis, obtusis, rotundis flexibusque plenis designatus; supercilia tenuia vides et colorem eorem non admodum gravem; bulbus profundior est et planior, praecipue cornea, et iridis color caesius aut subcoerulus; intuitus denique tardus, laxatus, atque vi carens parum ingenii promittit, utpote omnis plegmatici natura tarditatis quietisque nota et corporis et animi debilitate laborat.

OCULI FORMA

qualem diversitas gentium profert.

§. 55.

Si demum nationum, quas homines constituunt, diversitatem respicimus, non minus indolem, qua natio quedam est insignis, oculo de-

notari, ac in singulis hominibus singulares animi mentisque affectiones iis patefiunt, videbimus. Oculi deversarum gentium eodem discrimine, quo linguae, quinadeo quo linguarum dialecti, tenentur. Quemadmodum enim natura amplas terrarum regiones fluminibus et montibus divisit: ita et incolas e diversis locis singularibus lineamentis distinxit.

Gentes regionum septentrionalium.

Lappones, Samogetae, Gronlandici et homines ad polum residentes in universum.

§. 56.

Hominum istorum oculi hisce notis sunt insignes: intuitus non minus ac tota facies hebetudinem, inscitiam morumque ruditatem prodit. Oculi ipsi temporibus proxime sunt appositi, ac semiclausi connivent; circulus, quo iris circumdatur, nigredine infectus est; sub oculis prominentia torosa conspicitur.

T a r t a r i.

Plurimi, sed non omnes, quod voluit Buffonus, conspicui sunt superciliis validis oculum tegentibus et oblique versus nasum decurrentibus. Palpebrae eorum sunt crassae, et oculi ipsi parvi atque alte sub orbita positi. Tartari Dagestanici post Calmukas sunt maxime deformes. Tartari Nowgoici eo, quod venustis Circassiis sunt permixti, aliquid suae deformitatis, amplius etiam Mongolici amiserunt; quanquam uti omnes alii parvos istos et multum inter se distantes oculos, quibus sunt insignes, retinent. Supercilia et cilia sunt nigra, recta, tenuia et rigida.

Calmucarum supercilia alte esse posita, palpebras parvas, oculum non procul a finibus nasi radicis esse videmus. Baschkirae et Iacutae insignes sunt densis superciliorum setis, ferociter obnitentibus, et oblique versus nasum decurrentibus, orbitis multum apertis et amplo *osse ethmoideo* admodum a se distantibus, oculis parvis, animali natura plenis et oblique jacentibus.

C h i n e n s e s.

Facie non minus atque moribus Chinenses Tartaris sunt similes. Supercilia eorum sunt magna, oculi parvi, palpebrae sublimes, et intuitus eorum mollitiem, pigritiem et voluptatam naturam patefacit. Hisce non absimilis est oculus Iapanensium. In Arcanorum oculis

jam maior vita reperitur. Coerulei oculi Chinensium color inter rarissima pertinet [1]).

§. 57.

Gentes terrarum, quibus est temperata coeli temperies.

Hisce ad humanam speciem et ad nobiliores homines reversi, Mongolas, Persas, Armenios, Turcas, Caschmirianos, Georgianos[2]), Migrolios, Circassios, Graecos et gentes Europaïcos considerabimus.

Caschmiriani, Migrolii, Georgiani et Circassii ob venustatem formae multum innotuerunt. Non vestigium Tartaricae faciei amplius in iis reperitur, et in oculo ut in tota facie praestatissimam homines formam reperimus. Intuitus eorum ingenium, habilitatem et eximium decorem prae se fert.

Simile quid de Graecis Persis et Armeniis valet. Mongolarum oculi vero minus formosi ad speciem Tartariam proxime accedunt.

Turcae.

Hi ex permixtione nobilissimi sanguinis Asiae minoris incolarum et rudioris Tartaricorum hominum massae originem duxerunt. Inde oculorum orbitae multum spatii obtinent, sed formosa est eorum species [3]); supercilia prominent, bulbus mediocris est magnitudinis et intuitus stupens speculatur [4]).

Oculi Natoliorum, gentis magis excultae, cupidine immunes sunt atque acuminis pleni et non malignae astutiae, neque conatus magnos promittentes.

Russi.

Huius quoque gentis origo, uti Turcarum, diversissimis elementis est permixta. At hic nonnisi Russos proprios consideramus, quorum quidem fines inde a Finnarum et Livonicorum terra usque ad Asiam minorem protenduntur. Supercilia eorum altiora sunt; oculus sub orbita profunde est positus et nigri coloris; intuitus indolis levitatem, astutiam, meditantem calliditatem et animi fortitudinem prae se fert.

1. Lavater Physiol. Frag. T. IV. p 250. — 251.
2. l. c. p. 314.
3. Sömmering l. c. T. III. f. 1.
4. Lavater l. c. p. 10.

§. 58.

Gentes, quae terras meridionales occupant.

Hispani.

Hispani superbi atque admodum irritabilis supercilia sunt densa atque solida; iris est nigro-viridis, vel quoque smaragdinam colorem exhibens, et oculus in universum formosam habet speciem; intuitus vivus est atque superbus. Tota eorum forma non multum a Caschmirianorum specie recedit.

Francogalli.

Francogallus inter gentes omnes temperamento maxime sanguineo utitur. Hinc facies eius sincera est, amica, et suavis, cum primum aspicitur. Supercilia alta sunt et arcuata, color iridis plerumque castaneo-fuscus est, vel quoque nigricans, intuitus mobilis est atque vagus et indolem ad lepores proclivem significat.

Itali.

Vultus et praecipue oculus cholerici Itali animo plenissimus est. Oculi delineationes perspicuis finibus sunt descriptae, supercilia aliquantisper ab oculis distant; iridis color plurumque fuscus est vel coeruleus; in intuitu amor et voluptas, fervida vita atque profunda sagacitas est expressa [5].

Germani.

Lavaterus Germanos maxime rugis oculos circumdantibus, et sulcis, quibus genae sunt sectae, agnoscit [6]. Oculorum delineationes rigidae sun atque multiplices; iris colore coeruleo plerumque est distincta, (quae quidem nota iam antiquissimis temporibus de illis obtinuit) [7]; in tranquillo, et leniter severo intuitu indoles ingenua atque fida, taciturnitas, et profundi sentiendi facultas est denotata.

Angli.

In Anglorum oculis signa Melancholici mox deprehendes. Oculus tacet quasi, neque ut placeat, dat operam; intuitus tranquilus est, demissus et viriliter austerus, atque eximiam imaginationis vim facile denotat [8].

---

5) l. c. p. 286. et 291. 6) l. c. p. 269.

7) Conf. Taciti German.: habitus corporis in tanto hominum numero idem omnibus, truces et coerulei oculi.

Et Iuvenal: Coerulea quis stupuit Germani lumina?
Nempe quod haec illis natura est omnibus una.

8) Lavat. l. c. p. 285.

Hollandae.

Hollandae indoles ad quietem et pacem vergit et vis non est admodum eximia. Quod oculis semiapertis, neque multum promittentibus et facile conniventibus maxime significatur [9]).

§. 59.

Eadem varietas in structura et significatione oculi, quae indolis varietati maxime est congrua, uti apud gentes jam descriptas: ita et apud nigros deprehenditur.

Mauri.

Mauri supercilia non admodum torosa, sed tenera et tenuia paulum super palpebris prominent: palpebrae et maxime superiores crassae sunt et specie squaloris insignes; inferiores latae sunt, utriusque palpebrae margines in flexibus suis formam serpentis referunt, cilia nigerrima multum inflexa et admodum sunt densa; oculus minus quam in Europais est concameratus, et tamen major; circum corneam circulus nigricans conspicitur; iris plerumque unius coloris est et quidem ita obscuri, ut vix a pupilla distingui possit, quod maxime de Missipanis valet [10]); rima parum est aperta, oculi uti et simiarum oculi in verticali planitie sunt positi, et in nonnullis sibi adeo magis appropinquare videntur; intuitus aliquantum torpet et languidior vita caret. Haecce signa maximopere quadrant in Guineae incolas specie deformes, ingenio atque memoria admodum inopes.

Hottentottae.

Hottentottae superciliis crassis et valde alba sclerotica conspicui sunt.

§. 60.

Septentrionalis Americae incolae in universum non multum a specie Lapporum eorumque, qui circum polos consident, recedunt, et ut hice parvis oculis sunt conspicui.

---

9. Lavater l. c.
10. Inde G. Walter de venis oculi p. 23. iris in Aethiopis nulla est. Vid. Blumenbach. l. c. p. 174.

Canadenses.

Canadenses autem melius formati Tartaris orientalibus et ingenio et corpore admodum similes, et inde quoque structura oculi pene eadem. Color iridis aeque ac capillorum niger est.

Mexicani autem et Terram firmam incolentes magnos oculos, Patagones, Okasones, et Caraibae non ita magnos, sed castaneo fuscos aut nigros habent. Superciliorum aque ac ciliorum crines tenues sunt et rari.

In Abiponibus, qui partem Americae meridionalem occupant, ceterum bene structis et non parum formosis, omnino parvos et fere semper media nonnisi parte reclusos oculos deprehendimus.

Brasiliani eo sunt distincti, ut anguli oculorum interiores non acuti sed semicirculares sint, et anguli exteriores versus tempora via obliqua pergant, uti in Peruvianis et Canadensibus.

Peruviani.

Infelices hi homines etiamnum omnino servitutis, qua ab Hispanis deprimebantur, signa offerunt. Intuitus enim turbidus ac languidus vita destitutus est, rima oculorum longa est, et anguli exteriores ad tempora oblique tendunt, albuginea oculi livida est, iris autem nigra. Omnino aliter oculi eorum sunt constituti, qui civitates, quas dicunt confoederatas, incolunt. Sunt enim magis ad normam formati, magni et venusti; intuitus serenus vi ignea micat et animum ingenuum hilaremque manifestat [11]).

Indiani.

Indiani quoque parvos oculos et longe sub orbita positos habent. In Nuotaniis, ex stirpe Indica oriundis, praeter oculorum parvitatem angulos mirum in modum acutos et in longitudinem protensos videmus, quorum exterior ut in Germanis obliquus versus tempora iacet.

Incolae terrae del Fuego.

Tristi modo in hisce hominibus, vix adhuc ad humanum genus pertinentibus, oculis, indoles rebus non facile tangenda, hebetudo,

---

11) Löbenstein-Löbel l. c. p. 24 et 25.

12) l. c. 318 et 319.

summa calamitas et ingenium culturae omnino incapax proponitur. Quae miseriis plena spectra si Francogallo aut Italo componas: quantopere eximium discrimen admiraberis! Supercilia crassa sunt, turbata et non cohaerentia; palpebra superior laxa pendet, unde rima parva est et oblonga, intuitus torpet atque summopere languet [12]).

§. 61.

Novam Hollandiam occupantes.

Horum imaginem similem descripsit Buffonus, et miserrimos illos in orbe terrarum homines esse enarrat. Species eorum magis animalium, quam hominis naturam refert. Supercilia crassa sunt et ferocia, palpebrae semper sunt semiclausae et immobiles; unde si res longinquas aut altas sunt percepturi, caput more animalium in altum extollunt, quasi aliquid super se positum conspicere vellent. Intuitus simul et vita et animo omnino caret.

§. 62.

Kakerlakae.

Praecedentibus non multo feliciores superciliis flavo-albis et capillo caprino similibus atque sine ordine densis insignes sunt; palpebrae squalidae tument et squamosae albescunt, superior brevior est inferiore; cilia tenuissima inflexa sunt et eodem, quo supercilia, colore sunt conspicua, et in palpebra inferiore fruticum adinstar sunt consita; rima plerumque est angusta; cornea tenuis et magis quam in aliis est convexa; iris, quae texti speciem refert, pallido-coerulea vel pallido-rosea est et perpetuo motu oscillanti tenetur [13]); intuitus denique meticulosus a vita omni et ingenio est alienus.

---

13) Sömmering l. c. p. 8.